

Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput II.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Ch

destinatus erit. Hanc breuem noni capit is ad Romanos expōsitionem, dicto Malachiae, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, quod eo in loco à Paulo citatur, addidi, eam præcipue ob causam, ut phrases obscuriores, vtcung declaratæ, sententiam quoq; Pauli magis perspicuam & gratam auditorib; redderent.

Caput II.

LOCI DOCTRINAE PRAE- CIPVI.

I. Concio Legis, comminans maledictionem & pñas spirituales & corporales sacerdotibus, præcipue violentibus mandata Dei, tñm in negligenda necessarijs sacerdotiis officijs, tribui Levi commendatis, tum in comulgj legibus temerè & licenter polluendis: dum & alienigenas seu idolatrarum filias ducunt, & primas coniuges petulanter repudiant & abiciunt. Pertinet ad prium, tertium & sextum Præceptum, & ad hæc dicta: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes, visitans seu puniens iniquitatem. Item: Maledictus omnis qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.

II. DE OFFICIIS BONORVM SACERDOTIVM, SEV
MINISTRORVM ECCLESIE.

PACTVM meum fuit cum Levi vite & pacis, & dedi ea illi ob timorem, quia timuit me, & à nomine meo pauebat. Doctrina veritatis fuit in ore eius, & iniq;itas non est inuenta in labijs eius: in pace & in equitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniq;itate. Labia enim sacerdotiæ custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus seu legamus Domini exercituum est. Hæc Malachiæ concio, principale officium sacerdotum esse custodiam & prædicationem veræ de Deo doctrinæ ostendit: & eruditam ac integrum ferè boni Sacerdotis definitionem & Ideam continet. Est enim BONVS SACERDOS, persona timens Deum, & à Domino Deo Zebaoth vocata & missa, vt veram de Deo & Redemptor nostro Iesu Christo doctrinam fideliter custodiat, & docendo propaget: & multos ab iniq;itate ad veram Dei agnitionem & fidem conuertat. Item, Oret pro se & alijs, habens promissionem, quod propter Christum Mediatorem certò exaudiatur: & offerat sacrificia laudis Deo placentia: & exemplo veræ pietatis & ceterarum virtutum, præcipue verò studij pacis & æquitatis, alijs hominibus prelueat, & ad amandam ac discendam doctrinam eos inducat. Multi existimant Leuiticos sacerdotes sacrificiorum causa præcipue constitutos fuisse, vt pecudes maestarent & offerrent, & munda ab immundis discernerent: Sed hæc Malachiæ concio ostendit, longè maiorem curam & grauius officium Leuitis impositū fuisse, videlicet vt veræ doctrinæ de Deo custodes & interpretes essent, qui Legem & promissiones de Messia & eius sacrificio ac beneficijs Christi recte emarrarent, & ambigentibus animis responderent, & grauissimarum de dogmatibus & alijs rebus controvenerunt iudices essent. Sacrificiorum autem ritus ideo additi erant, vt typi & imagines essent venturæ veræ victimæ Christi, & occasiones erudiendi populum de sacrificio Christi, quo solo & vnico omissa totius mundi peccata expiatæ.

expiari, & fide ad illud confugientibus iusticiam & salutem æternam restituunt docebant. Huius doctrinæ custodiam & propagationem sciamus præcipuum sacerdotum Leuiticorum functionem fuisse, quam fideliter obeuntibus, vicissim VITAM & PACEM, hoc est, omnia bona, animæ & corporis, seu præsentem & æternam salutem Deus promisit.

Ordine autem Officia sacerdotum in præsenti Malachiæ concione recitata considerentur, quæ numeris distinguam. Primum luceat in sacerdotibus verus TIMOR Dei, serio statuens esse Deum inspectorem & iudicem omnium cogitationum & actionum humanarum, & filiali reuerentia ac metu iræ ac iudicij diuini vitans omnia delicta, & fideliter faciens omnia sui munera officia diuinitus mandata, & voluntatem ac verbum Dei omnibus rebus humanis anteferens. Hoc enim præstare nobis debet Dei Timor, ut omnes alios timores contemnamus. Deinde sonet in ore Sacerdotis LEX Veritatis .h. DOCTRINA (Nam vocabulum Thora, quod legem vertunt, non tantum Decalogum, sed in genere doctrinam significat, à radice Iarah, docuit, instituit, erudiuit) de vero Deo, de vera Dei agnitione & inuocatione, de lege Dei, de peccato, de vera iustitia & salute æterna propter Christum Semen benedictum, Adæ & Abrahæ promissum, donanda, de vera fide in Christum, de veris cultibus Dei, de vera poenitentia, de vera Ecclesia. Hanc doctrinam immensa bonitate ab ipso Deo in libris Prophetarum & Apostolorum patefactam, docere, interpretari, propagare, & alios homines de vera agnitione Dei, & Redemptore nostro Iesu Christo, & æterna salute sua erudire, vnum ex præcipuis & summis & difficilimis sacerdotij muneribus est. Merito igitur dolemus, quod passim & omnib. ætatibus accidere videmus, cum alijs artibus omnibus iustum discendi tempus tribuatur, multos in Theologia, priusquam rectè & integrè summam doctrinæ Christianæ didicerint, imo priusquam titulos sacerorum librorum cognouerint, ad grauiusnum docendi officium profili: & sapientes se, si modo velint, subito esse putare: & cum propriam inscitiam non agnoscant, alios docere velle. Id se intuentein Nazianzenus saep cum lachrymis deplorasse scribit, οὐδένα ὅτι τὸ ξεῖδαι οὐδὲν τὸ πλάττον αὐθαίρετη. Magnam autem eruditionem, prudentiam, exercitationem, dicendi copiam, & multas alias artes ad perspicue docendum, & in primis ad sacras literas enarrandas, & rationem docendi ad diuersa genera auditorum, & peritorum ac imperitorum captum, instar Medici, ad diuersa temperamenta & morbos attemperandam requiri, omnes prudentes intelligunt. Quare hac ipsa doctrinæ mentione nos ad diligentiam & intentionem animi & assiduitatem in disendo præstandam exuscitari sciamus. Tertium munus Sacerdotis est, fugere & refutare falsam doctrinam. Iniquitas non est inuenta in labijs eius, i. non docuit falsa & impia dogmata: sicut Paulus iubet Episcopum non modo tenacem esse veræ doctrinæ à Deo traditæ, sed etiam à falsis opinioribus & Iudaicis fabulis, & doctrinis hominum auersantium veritatem, abstinere, & contradicentes euidenter conuincere. Ad hanc propugnationem veritatis, & refutationem errorum, non tantum amor veritatis, peritia doctrinæ Christianæ mediocris, prudentia & sagacitas, verum etiam cognitio antiquitatis, & præcipuorum certaminum ac iudiciorum ecclesiæ, acumen & exercitatio in disputando, disertæ orationis copia, & magna doctrinæ & artium varietas flagitatur. Quartum est, Exemplo veræ pietatis & o-

Ch

mnium bonorum operum, præcipue verò studij pacis & æquitatis, auditibus prælucere, vt qui doctrina non mouentur, honestate vitæ ac morum Sacerdotis, ad veram pietatem inuitentur: iuxta illud Math. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificetur Pater vester, qui in cœlis est. Et Nazianzenus: μὴ διδάσκειν, οὐ διδάσκει τῷ τρίτῳ, μὴ τῇ μὲν ἐλκεῖν, τῷ δὲ ἀπαθεῖσθαι χρέον· ηὔτω διδάσκει τὸ λέγειν, πείσθαι τὸ δῶ. Quintum est, Multos auertere ab iniuitate, & ad poenitentiam veram & fidem, ac vita emendationem, ac obedientiam Deo placentem, voce doctrinæ, placidis admonitionibus, graibus cohortationibus, conuersatione vita, & bonis exemplis inuitare & attrahere. Sexto, principale officium Sacerdotum repetit, vt sint c v s t o d e s & interpres ac propagatores doctrinæ de vera Dei agnitione & inuocatione: eamq; non tantum ipsi in corde suo abditam seruent, verum etiam labijs suis, in publico ministerio sonent & propagent: & ambigentibus animis de doctrina, vel consilium aut consolationem quærentibus ex verbo Dei respondeant. Et additur ratio, τιμὴν αὐτοῦ φορέα, quia Angelus seu legatus D o m i n i exercituum est. Quare vt legatus Dei, voluntatē & mādata sui Domini nosse, & fideliter custodire, exponere & annuciare generi humano debet: & vicissim homines, verbo & prædicationi sacerdotum & omnium doctorū fidelium, qui se intra fines instructionis & mandati diuini continent, tanquam voci ipsius Dei de celo sonanti credere debent & obtemperare. Hæc sunt officia Sacerdotum, non solum publico ministerio docendi, & Sacraenta administrandi in templis fungentium, sed etiam omnium Christianorū, quibus honorem & ius sacerdotij suminus Sacerdos, Filius Dei, impertivit, vt 1. Pet. 2. dicitur: Vos elli Sacerdotes sancti, ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo, per Iesum Christum. Cum autē vitandæ avaraciacies & confusionis causa, in ecclesia, certis personis, legitime vocatis, administratio iuris sacerdotij in publico coru commendata sit: vnuquisq; intra suæ vocationis metas se continere debet.

Vos autem recessistis de via, & offendistis plurimos in lege, irritum fecistis populum Leui. Antithesis. Vos Iudaici sacerdotes, & doctrinam de Deo ac cultibus diuinis veram corrumpitis, & vitæ ac morum turpitudine ministerium deformatis, & scandalis doctrinæ ac morum plurimos offenditis, Ideo horribiliter puniemini. Osee 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: Et oblitus es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego. Peccata populi mei comedunt, & iniquitate eorum delectantur. Ierem. 8. Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Confusi sunt sapientes: Verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.

D E C O N I V G I O.

Nvnquid non Pater unus omnium nostrum? D O M I N U S T E S T I F I C A T U S est inter te & uxorem adolescentię tua, quam tu despxisti: & ipsa S O C I A T Y A & V X O R F O E D E R I S T V I . Coniugium est à D omino Deo instituta societas vnius maris & vnius foemine, legitima & indissolubilis, ordinata, ad procreationem sobolis, & ad vitandas libidinum confusiones: hoc fine principali, vt Deo in castitate seruiamus, & alios cultores Deo in his terris nostro loco relinquamus. Hoc Fœdus coniugale aliquot insignibus verbis hoc in loco Propheta describit. Ac primum de causa

causa efficiente inquit, ut Salomon : A' D O M I N O uxorem bonam dona-
ri. Ut enim Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, conditor maris &
femina ad imaginem suam, in Paradiso coniugem primam Adamo adiun-
xit; ita deinceps etiam seria inuocatione potentibus dat coniuges bonas :
& ipse adest p̄ijs coniugibus r e s t r i c t i o n i s confirmans, quod iuxta Dei manda-
tum, & de parentum suorum consensu se ad perpetuam & indissolubilem
vitæ consuetudinem, mutuo amore sincero, & omnium bonorum ac æru-
mnarum societate, & fide non fallente, colendam obligauerint. Inde
honestissimus mos inchoandi coniugia, & ducendi sponsas ad aram, in ec-
clesia patrum vſitatus, ad ethnicos etiam emanauit, vt Aristoteles in Oe-
conomicis inquit : κονον νόμον ὑφηγεῖσθαι, οτι τὴν γυναικαν ὀπαρεὶς ικέτιν χρή αὐτοῖς
γένεται, οις ἡκίσα δεῖν δοκεῖν ἀδικεῖν. Et adhuc in nostris ecclesijs vſitatum est,
sponsum & sponsam in templo & ad aram per Ministrum Filij Dei, in no-
mine Dei & sanctæ Trinitatis, ad indiuiduam vitæ consuetudinem copula-
ri: cuius foederis coniugalis Dominus Deus ipse, in ecclesia sua præsens,
grauissimus testis est.

Dcinde vxorem nominat Malachias Habereth,

s o c i a m seu consortem viri, iunctam & copulatam viro anima & corpo- S o c i a ;
re, & omnium bonorum & æruumnarum communione. Est socia generati-
onis, socia & adjutrix educationis liberorum, socia quotidianæ inuocatio-
nis Dei & gratiarum actionis, socia gaudiorum & curarum ac dolorum ma-
riti omnium, socia & adjutrix rei familiaris parandæ, & tuendæ & admini-
strandæ fidelis.

Πίστε ποὺ βιότοιο μελιΦρόνος ἐσθλὸν ἔρδους
Συζυγίη, Διπλὲν δε γάμος ποὺ ἀβλκιν ἔθηκε,
Αλῆλοις τε χέρες ποὺ ἔστα ποὺ τόδες ἔσμεν.
Σωταὶ ποὺ μελεδῶναι ἐλαΦρίζοντις αἴσιοις.
Σωταὶ δὲ οὐφροσύνας γλυκερώτερα ἀμφοτέροισι;
Κλητις δὲ ἀμφοτέροισι ταοΦροσύνης τε τόθωντες
Συζυγίη, ποὺ σφραγίς αἰνυκάνης Φιλότητος
Συμφυσες σάρκεστην, ομόΦρονες, Στοιχίητες
Κεντρον ἐν αληλοισι τόθω θίγοντες ομοιον.
Χρεοὶ ταλατέην ταλαιν θέον ἀμφαγαπῶσι.
Et simul est radix & fulcrum nobile vite
Coniugium: præstat, si sis sine robore, vires
Sic sumus inter nos auresq., manusq., pedesq.,
Mutua sic duros emollit cura labores,
Mutua sic gemina dulcedine gaudia crescunt;
Quin desiderium concessio limite claudit
Coniugium, castosq., eternum obsignat amores,
Ut sunt carne simul iuncti, sic mente coherent,
Inter seq., p̄ijs miscent incendia flammis:
Et quia præsidij est rerumq., hic maior egestas,
Famina virg., Deo maiori pectore fidunt.

Vt autem vxor mariti socia & consors est: sic ecclesia Christi sponsi Vxor pos-
teris.
consors, & Dei nurus, vna caro & sanguis cum Christo est, & omnium be-
neficiorum ac bonorum Christi particeps. Tertio, nominat vxorem
foederis Escheth berith, cuin qua foedus mutui amoris sinceri, suavis & ar-
gentis, & fidei coniugalis, & communionis omnium bonorum & miseria-
rum;

Ch

rum, & defensionis necessariæ, & condonationis offenditionum tolerabiliū, & reuerentiæ ac amoris mutui perpetuum & indissolubile, maritus pepigit, ac vt in foederibus Regum & populorum, iuramento etiam interposito, mutuae promissiones benevolentia & auxilij inter confederatos sanciri & confirmari solent: ita consentaneum est, in grauissima illa antiquitate, à sponso, promissionem fidei & amoris coniugalis, non modo verbis & tradita dextera, sed etiam iurecurando, seu teste Deo inuocato, factam esse, vnde fortassis apud Germanos die **Che vom Eide** / Coniugium à iuramento, & ab Ebræa voce, I A D, quæ testari, & Deum testem inuocare significat, nomen accepit, sicut hic inquit Propheta, Deum inter maritum & vxorem testificari. Tam arctum & sacrosanctum foedus cum inter maritum & coniugem Dominus Deus sanciuenter, quod etiam vult imaginem esse foederis inter Christum & ecclesiam: fatis appetit eos, qui coniugale foedus, vel adulterio, vel desertione coniugum, vel diuortijs perulantibus violent, non solum casti pudoris decus polluere, verum etiam impunitatis erga Deum & periurij crimine contaminari.

Non immerito itaque accusat Propheta Sacerdotes, præcipue Massam, Elieser, Iarib, Godoliam, & cæteros, quorum nomina 1. Esd. 9. & 10. cap. extant: quod & alienigenas seu gentium Idolatraru[m] filias vxores ducerent, & Iudaicas coniuges & Iudeorum filias temere repudiarent, contra expressas prohibitiones diuinæ, Deut. 7. Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram promissam, & deleuerit gentes multas coram te, Etheum & Gergezeum, & Amorræum, Non inibis cum eis foedus, nec sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio illius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me; & vt magis seruiat Dijs alienis, Irascateturque furor Domini, & delebit te cito. Iof. 23. Quod si volueritis cum gentibus his, quæ inter vos habitant, connubia miscere, & amicitias copulare, iam nunc scitote, quod erunt vobis in fœcum & laqueum, & sudes in oculis vestris, donec vos auferet & disperdat terra hac optima, quam tradidi vobis. Deinde, Diuortij prohibitio in Paradiſo promulgata est: Erunt duo in carnem vnam, id est, perpetuo & indissolubiliter copulati & vniiti. Sic enim Christus ipse interpretatur Matth. 19. Non sunt duo, sed vna caro. Quod autem Deus coniunxit, homo non separat. Cum enim Pharisei, horum sacerdotum, qui in Malachia taxantur, posteri, tentantes Christum, interrogarent, An liceret homini diuortium facere cum vxore propter quilibet causam? respondens Christus, ait: An non legistis, quod is, qui fecit ab initio, masculum & foeminam fecit eos? Et dixit: Propterea deseret homo patrem ac matrem, & adglutinabitur vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus copulauit, homo ne faperet. Dicunt illi: Cur ergo Moses iussit dare libellum repudij, ac dimittere eam? Ait illis: Moses obduriciem cordis vestri permisit vobis repudiare vxores vestras. Ceterum ab initio non fuit sic. Dico autem vobis, quod quicunque repudiauerit vxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit. Ex horum testimoniorum collatione, & historia 1. Esd. 9. & 10. facilius summa praesens Malachiæ concionis intelligi potest. Cætera in lectione textus explicabo.

C A P V T